

Cambridge University Press
 978-1-107-48730-7 - T. Macci Plavti: Menaechmi
 Edited by Clara M. Knight
 Excerpt
[More information](#)

PERSONAE

PENICVLVS PARASITVS	
MENAECHMVS I	} ADVLESCENTES
MENAECHMVS II (SOSICLES)	
EROTIVM MERETRIX	
CYLINDRVS COQVOS	
MESSENIQ SERVOS	
ANCILLA	
MATRONA	
SENEQ	
MEDICVS	
SCAENA	EPIDAMNI

ARGVMENTVM

Mercator Siculus, quoi erant gemini filii,
 Ei surrupto áltero mors optigit.
 Nomen surrepticii illi indit qui domist
 Auos paternus: facit Menaechmum e Sosicle. 5
 Et is germanum, postquam adoleuit, quaeritat
 Circum omnis oras. post Epidamnum deuenit:
 Hic fuerat alitus ille surrepticius.
 Menaechmum omnes ciuem credunt aduenam
 Eumque appellant meretrix, uxor et socer.
 I se cognoscunt fratres postremo inuicem. 10

K. M. I

PROLOGVS

(Spoken by the Stage Manager)

Salutem primum iam a principio propitiam
 mihi atque uobis, spectatores, nuntio.
 apporto uobis Plautum—lingua, non manu:
 quaeso ut benignis accipiatis auribus.
 nunc argumentum accipite atque animum aduertite; 5
 quam potero in uerba conferam paucissima.

atque hoc poetae faciunt in comoediis:
 omnis res gestas esse Athenis autumant,
 quo illud uobis graecum uideatur magis.
 ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur. 10
 atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
 non atticissat, uerum sicilicissitat.
 [huic argumento antelogium hoc fuit;]
 nunc argumentum uobis demensum dabo,
 non modio neque trimodio, uerum ipso horreo: 15
 tantum ad narrandum argumentum adest benignitas.

mercator quidam fuit Syracusis senex.
 ei sunt natei filii geminei duo,
 ita forma simili puerei, uti mater sua
 non internosse posset quae mammam dabat, 20
 neque adeo mater ipsa quae illos pepererat
 (ut quidem ille dixit mihi qui pueros uiderat:
 ego illós non uidi, ne quis uostrum censeat).
 postquam iam pueri septuennes sunt, pater
 onerauit nauim magnam multis mercibus. 25

Cambridge University Press
 978-1-107-48730-7 - T. Macci Plavti: Menaechmi
 Edited by Clara M. Knight
 Excerpt
[More information](#)

PROL. 1—57	<i>PLAVTI MENAECMI</i>	3
inponit geminum álterum in nauim pater, Tarentum auexit secum ad mercatum simul: illum reliquit alterum apud matrem domi. Tarenti ludei forte erant, quom illuc uenit. mortales multi, ut ad ludos, conuenerant :		30
puer aberrauit inter homines a patre. Epidamniensis quidam ibi mercator fuit; is puerum tollit auehitque Epidamnum eum. pater eius autem postquam puerum perdidit, animum despondit eaque is aegritudine		35
paucis diebus post Tarenti emortuost. postquam Syracúsas de ea re rediit nuntius ad auom puerorum, puerum surruptum alterum patremque pueri Tarenti esse emortuom, immutat nomen áuos huic gemino alteri.		40
ita illúm dilexit qui surruptust alterum : illius nomen indit illi qui domist, Menaechmo, idem quod alteri nomen fuit. et ipsus eodemst auo' uocatus nomine.		45
(propterea illius nomen memini facilius, quia illúm clamore uidi flagitarier). ne mox erretis, iam nunc praedico prius: idemst ambobus nomen geminis fratribus. nunc in Epidamnum pedibus redeundumst mihi, ut hanc rem uobis examussim disputem.		50
si quis quid uostrum Epidamnum curari sibi uelit, audacter imperato et dicitó: sed ita ut det, unde curari id possit sibi. nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit; qui dederit, magi' maiores nugas egerit.		55
uerum illuc redeo unde abii atque uno adsto in loco. Epidamniensis ill', quem dúdum dixeram,		

Cambridge University Press
 978-1-107-48730-7 - T. Macci Plavti: Menaechmi
 Edited by Clara M. Knight
 Excerpt
[More information](#)

4 *PLAVTI MENAECHEMI* PROL. 58—76

geminum illum puerum qui surrupuit alterum,
 ei liberorum, nisi diuitiae, nil erat.
 adoptat illum puerum surrupticium 60
 sibi filium eique uxorem dotatam dedit
 eumque heredem fecit, quom ipse obiit diem.
 nam rus ut ibat forte, ut multum plúerat,
 ingressus fluuium rapidum ab urbe haud longule,
 rapidus raptori pueri subduxit pedes, 65
 apstraxitque hominem in maxumam malam crucem.
 illi diuitiae éuenerunt maxumae.
 is illic (*pointing to the house of Men. I*) habitat geminus
 surrupticius.
 nunc ille geminus qui Syracusis habet
 hodie in Epidamnum uenit cum seruo suo 70
 hunc quaeritatum geminum germanum suom.
 haec urbs Epidamnum est, dum haec agitur fabula:
 quando alia agetur, aliud fiet oppidum.
 sicut familiae quoque solent mutarier :
 modo hic hábitat leno, modo adulescens, modo senex, 75
 pauper, mendicus, rex, parasitus, hariolus. 76
 * * * * * * *

I I

PENICVLVS

(Enter Peniculus the parasite, from the town (left))

Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi,
 ideo quia mensam, quando edo, detergeo.
 homines captiuos qui catenis uinciunt
 et qui fugitiuis seruis induunt compedes, 80
 nimi' stúlte faciunt mea quidem sententia.
 nam hóm̄ini misero si ad malum accedit malum,
 maior lubidost fugere et facere nequiter.
 nam se ex catenis eximunt aliquo modo;
 tum compediti ei anum lima praeterunt 85
 aut lapide excutiunt clauom. nugae sunt eae.
 quem tu adseruare recte ne aufugiat uoles,
 esca atque potione uinciri decet;
 apud ménsam plenam hóm̄ini rostrum deliges.
 dum tu illi quod edit et quod potet praebeas 90
 suo arbitrato <usque> ad fatim cottidie,
 numquam edepol fugiet, tam etsi capital fecerit.
 facile adseruabis, dúm eo uincla uincies.
 ita istaéc nimi' lenta uincla sunt escaria:
 quam magis extendas, tanto adstringunt artius. 95
 nam ego ad Menaechmum hunc eo, quo iam diu
 sum iudicatus; ultro eo, ut me uinciat.
 nam illic homo hóm̄ines non alit, uerum educat
 recreatque: nullus melius medicinam facit.
 itast adulescens; ipsus escae maxumae, 100
 Cerialis cenas dat: ita mensas exstruit,

Cambridge University Press
 978-1-107-48730-7 - T. Macci Plavti: Menaechmi
 Edited by Clara M. Knight
 Excerpt
[More information](#)

6

PLAVTI

I 1, 2

tantas struices concinnat patinarias:
 standumst in lecto, si quid de summo petas.
 sed mi interuallum iam hos dies multos fuit:
 domi domitus sum usque cum careis meis: 105
 nam neque edo neque emo nisi quod est carissimum.
 id quoque iam, cari qui instruontur deserunt.
 nunc ad eum inuiso. sed aperitur ostium.
 Menaechmum eccum ipsum uideo; progreditur foras.

I 2

MENAECHMVS I

*(Enter Menaechmus I from his house, talking back to
 his wife within)*

MEN. ni mala, ni stúlta sies, ni índomita impósque
 animi, 110
 quod uiro esse odio uideas, tute tibi odio habeas.
 praétherhac sí mihi tále post húnc diem
 fáxis, faxó foris uídua uisás patrem.
 nám quotiéns foras íre uoló, mé retinés, reuocás, rogitás:
 quó ego eam, quám rem agam, quíd negotí geram, 115
 quíd petam, quíd feram, quíd foris égerim.
 pórtitorém doꝓum dúxi: ita omném mihi
 rém necesse éloquist, quícquid egi átque ago.
 nimium ego te hábui delicatam; núnc adeo, ut facturus,
 dicam.
 quando égo tibi ancillás penum, 120
 lanam, aúrum, uestem, púrpuram
 bene praébeo nec quícquam eges, 121
 maló cauebis, sí sapis:
 uirum óbseruare désines. 122

atque adeo, ne me nequiquam serues, ob eam industriam
 hodie ducam scortum ad cenam atque aliquo condicam
 foras.

PEN. (*aside*) illic homo se uxori simulat male loqui,
 loquitur mihi; 125

nam si foris cenat, profecto me, haud uxorem, ulciscitur.

MEN. (*to himself*) euax! iurgio hercle tandem uxorem
 abegi ab ianua.

ubi sunt amatores mariti? dona quid cessant mihi
 conferre omnes congratulantes, quia pugnaui fortiter?
 hanc modo uxori intus pallam surrupui (*opening his own
 outer robe and shewing his wife's cloak beneath*):
 ad scortum fero. 130

sic hoc decet, dari facete uerba custodi catae.

hoc facinus pulcrumst, hoc probumst, hoc lepidumst, hoc
 factumst fabre:

meo malo a mala abstuli hoc, ad damnum deferetur.

auorti praedam ab hostibus nostrum salute socium.

PEN. (*approaching Menaechmus*) heus adulescens! ecqua
 in istac pars inest praeda mihi? 135

MEN. perii, in insidias deueni. PEN. immo in praesidium;
 ne time.

MEN. quis homost? PEN. ego sum. MEN. o mea Com-
 moditas, o mea Opportunitas,

salue. PEN. salue. MEN. quid agis? PEN. teneo dextera
 genium meum.

MEN. non potuisti mágis per témpus mi aduenire quam
 aduenis.

PEN. ita ego soleo: commoditatis omnis articulos scio.

MEN. uin tu facinus luculentum inspicere? PEN. quis
 id coxit coquos? 141

iam sciam, si quid titubatamst, ubi reliquias uidero.

MEN. dic mi, enumquam tu uidisti tabulam pictam in
 pariete,

ubi aquila Catameitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?

PEN. saepe. séd quid istae picturae ad me adtinent?

MEN. age me aspice. 145

ecquid adsimulo similiter? PEN. (*pointing to the woman's
 cloak which Menaechmus wears*) qui istic est
 ornatus tuos?

MEN. dic hominem lepidissimum esse mé. PEN. ubi
 essuri sumus?

MEN. dic modo hoc quod ego te iubeo. PEN. dico:
 homo lepidissime.

MEN. ecquid audes de tuo istuc addere? PEN. atque
 hilarissime.

MEN. perge, <perge> PEN. non pergo hercle, nisi scio
 qua gratia. 150

litigium tibist cum uxore; eo mi ábs te caueo cautius.

MEN. clám uxorem úbi sepulcrum habeamus atque hunc
 comburamus diem.

PEN. age sane igitur, quando aequom oras, quam mox
 incendo rogam?

dies quidem iam ad umbilicum est dimidiatus mor-
 tuos. 154-5

MEN. te morare, mihi quom obloquere. PEN. óculum
 ecfodito per solum

mihi, Menaechme, si ullum uerbum faxo, nisi quod
 iusseris.

MEN. concede huc a foribus. PEN. fiat. MEN. etiam
 concede huc. PEN. licet.

MEN. etiam nunc concede audacter ab leonino cauo.

PEN. eú edepol! ne tu, ut ego opinor, esses agitator
 probus. 160

Cambridge University Press
 978-1-107-48730-7 - T. Macci Plavti: Menaechmi
 Edited by Clara M. Knight
 Excerpt
[More information](#)

143—181

MENAECMI

9

MEN. quidum? PEN. ne te uxor sequatur, respectas
 identidem.

MEN. sed quid ais? PEN. egone? id enim quod tu uis,
 id aio atque id nego.

MEN. ecquid tu de odore possis, si quid forte olfeceris,
 facere coniecturam *? * * * *

PEN. * * * captum sit collegium. 165

MEN. agedum, (*holding out the cloak to him*) odorare hanc
 quam ego habeo pallam. quid olet? apstines?

PEN. summum olefactare oportet uestimentum muliebre;
 nam ex istoc loco spurcatur nasum odore inutili.

MEN. olfacta igitur hinc, Penicule. lepide ut fastidis!
 PEN. decet.

MEN. quid igitur? quid olet? responde. PEN. furtum,
 scortum, prandium. 170

MEN. tibi fua * * * * *

elocutu's: nam * * * * *

nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.

mihī, tibi atque illi iubebo iam adparari prandium.
 PEN. eu!

MEN. inde usque ad diurnam stellam crastinam pota-
 bimus. PEN. eu! 175

expedite fabulatu's. iam foris ferio? MEN. feri.

uel mane etiam. PEN. mille passum commoratu's can-
 tharum.

MEN. placide pulta. PEN. (*knocking at the door*) metuis
 credo, ne fores Samiae sient

MEN. mane mane, obsecro hercle: eapse eccam exit: oh,
 solem uides, 179-180

satin ut occaecatust prae huius corporis candoribus?

I 3

EROTIVM

(*Enter Erotium from her house*)

ER. anime mi, Menaechme, salue. PEN. quid ego?

ER. extra numerum es mihi.

PEN. idem istuc aliis adscriptiuus fieri ad legionem solet.

MEN. ego istic mihi hodie adparari iussi apud te proelium. 184-5

ER. hodie id fiet. MEN. in eo uterque proelio potabimus. uter ibi melior bellator erit inuentus cantharo,

tua est legio: adiudicato cum utro—hanc noctem sies.

ut ego uxorem, mea uoluptas, ubi te aspicio, odi male!

ER. interim nequis quin eius aliquid indutus sies. 190

quid hoc est? MEN. induviae tuae atque uxoris exuiviae, rosa.

ER. superas facile, ut superior sis mihi quam quisquam qui impetrant.

PEN. (*aside*) meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat uidet: 193

(*aloud*) nam si amabas, iam oportebat nasum abreptum mordicus. 195

MEN. sustine hoc, Penicule (*gives Pen. his own cloak*): exuias facere quas uoui uolo.

PEN. cedo. sed obsecro hercle, salta sic cum palla postea.

MEN. ego saltabo? sanus hercle non es. PEN. egone an tu magis?

exue igitur, si non saltas. MEN. nimio ego hanc periculo surrupui hodie. meo quidem animo ab Hippolyta subcingulum haud 200

Hercules aequae magno umquam abstulit periculo.